

los vsurpant frequentius: quodq; communis plebs pharmacopœorum decoctis & infusis præstare iubetur, hi distillatis & extractis effectum dent: quod inde nascitur discrimen, ad usum veriùs, de quo paulò post, quàm ad ipsam Chymiam, remediorumve præparationem pertinebit: nec tãti momenti, vt vel artes diuersas, vel diuersos artifices efficiat. Ergo conueniunt inter se remediorum separatione, quòdque discrimen ex nominum varietate procreari videtur, nullum est. Galenici quoque Balsamum decoctis & infusis, aliisve commixtum habent, sed illud facultatem cum Hippocrate appellitât.

*Remedium  
compositum.*

Compositionem verò remediorum, sequitur compositum remedium, quod speciatim quidem multifariam sese habet: generatim verò certis quibusdam capitibus circumscribitur: quæ nec Chymici respuunt. Quia tamen frequentius delectantur exquisitioribus separandi formis, alias quoq; compositiones factitant. Ergo nō respuunt Syrupos, Clysteres, Gargarismata, Epithemata, Fomenta, Embrochas, Infessus, Balneas,